Chs Reinwardt 60k No1 X


RELATIO
BREVIS HISTORICO-BOTANICO-MEDICA
DE
AVELLANA MEXICANA,
VVLGO
CACAO
DICTA,
RECENSITA ET DELINEATA
A

FR. ERNEST. BRVCKMANN
MED. DOCT. ACAD. CAESAR. NAT. CVR.
ET SOC. REG. PRVSS. SCIENT. COLLEG.
ET PRACT. BRVNSVIC.

EDITIO SECVNDA PRIORI AVCTIOR.
CVM FIGVR. AENEIS.

BRVNSVIGAE,
APVD LVDOLPH. SCHROEDER.
MDCCXXVIII.

VIRO
NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO
ATQVE CONSVLTISSIMO
DOMINO
DN. IOHANNI KANOLD,
MEDICINAE DOCTORI
FAMIGERATISSIMO,
ACAD. CAESAR. LEOPOLD. CAROL.
NAT. CVRIOSOR. COLLEG.
ET
PRACTICO VRATISLAVIENSI
FELICISSIMO,
PATRONO ET FAVTORI
OMNI OBSERVANTIAE GENERE COLENDO,
SCRIPTVLVM HOC
IN VLTERIOREM SVI COMMENDATIONEM ET
GRATI ANIMI SIGNIFICATIONEM
DEVOTISSIME OFFERT
AVTOR.



PROOEMIVM.

TAnta eſt divinæ gratiæ ac bonitatis amplitudo! profunda ipſius clementiæ ac paternæ miſericordiæ abyſſus, ut miſerrimæ mortalium genti ex inſita & innata labe, quam vulgo peccatum originale vocant, in innumeras tum animi, tum corporis calamitatum ac morborum myriades præcipitatæ, paterna clementia de variis remediorum generibus uberrime proſpexerit. Amiſſa enim imagine divina, fragile corpus priſtinum quoque ſuum vigorem amittere, vires fatiſcere & collabi, morborum co-

hors id affligere, mors oſtium pulſare incipiebant. Proinde ſumma Numinis miſericordia juxta ac clementia harum humano generi preſſo pede minitantium ærumnarum ac morborum miſerta latiſſimum remediorum aperuit & monſtravit campum, ex quo miſelli deſumere & depromere poſſent, quæ & morbis debellandis ac morti præcavendæ forent idonea. Atque hinc ſpecioſum variarum materiarum promtuarium, quod materiam medicam Appollineæ artis filii vocitant, originem traxit, ubi velut ex divite naturæ penu vix enumeranda corpora, omnia ad hominum ſalutem ac ſanitatem incolumitatemque conſpirantia, prodierunt. Ut ergo divinæ hujus miſericordiæ ineffabilis dignitas atque egregius materiæ medicæ uſus egregiaque activitas evidentius & magis magisque de die in diem pateat, mihi inpræſens materiam quandam ex ſic dicta materia medica, quæ ob excellentiam, ac ſi conſtituat inſtrumentum, per quod Medicus rite officio ſuo fungi poſſit, ita dicitur, pertractandam elegi, nempe fructum exoticum ex Americano orbe in noſtras terras delatum atque Cacao appellatum, qui baſin

sin constituit famosissimi illius potus, Chocolatæ dicti, cujus elogia, usus & vires, cum multi id de omni natione & Hispani videlicet, & Galli, & Angli, & Belgæ & Germani ante nos peculiaribus scriptis fecerunt, hic recensere velle, nil aliud foret, nisi post Homerum Iliada scribere. Hinc breviter tantum primarium hujus delicati potus ingrediens pertractabimus, ut paucis patefiat, quænam hujus nuclei sint partes constitutivæ, quænam virtutes præcipuæ, quibusque in arte medica usibus inserviat. Hocce enim problema videtur materia satis digna, cum non remedium tantum, sed & alimentum optime nutriens sit & saginans, ut exercitii more ventiletur. Quod si in quibusdam cespitaverimus, in concedenda venia quemvis bonum se nobis facilem esse præbiturum confidimus. Faxit Divinum Numen, ut hæc omnia in sui nominis gloriam, proximi salutem, sanitatem ac commodum cedant feliciter!

RELATIO HISTORICO-BOTANICO-MEDICA DE AVELLANA MEXICANA.

§. I.

QVod ad nucleorum noſtrorum, Cacao dictorum, etymologiam, quam diſſertationum compilatores in frontiſpicio collocare conſueverunt, ſpectat, Cacao vox pure Americana, & nunc temporis apud nos, imo pleraſque Europæ nationes, (quibus nempe jam innotuit hicce Peruvianus fructus) jus civitatis adepta, &, liceat nobis ita loqui, naturaliſata videtur.

§. II.

Verum enim vero, quemadmodum de aliis ex regno vegetabili deſumtis rebus factum eſt, quibus ſynonymorum ingens addita fuit acceſſio; ſic & noſtro cum Cacao ſe res habet. Quilibet fere autor peculiarem noſtris in ſcriptis ſuis attribuit nucleis denominationem; vel primam ſaltim corrupte ſcripſit, unde fructus noſter exoticus variis ab autoribus variis deinde fuit appellatus nominibus; Sic non raro vocatur *Cacahuatl*, *Cacoas fructus*, vid. HENRICI MVNDII Opera Medico-Phyſica in appendice de parergis in victu p. m. 349. *Cacavate* a JOH. PARKINSONIO in theatro botanico. *Cacho*, *Cacavi*, *Cacaval*, *Cacao Americæ* ſeu *Avellana Mexicana* a JOH. BAVHINO Hiſtor. plantar. univerſal. Tom. I. Lib. III. Cap.

Cap. XXV. pag. 291. & MELCHIOR. GVILANDO, forſan ob analogiam cum avellana nuce & patria ſic dicitur, a qua & *Peruvianus* audit *fructus*. *Cacacius* ab ANTONIO COLMENERO in opuſculo de Chocolatæ Indæ qualitate & natura. *Semen Cacaoati* a JOH. EVSEBIO NIEREMBERGIO Madritenſi in Hiſtor. natural. Lib. XV. Cap. XXII. de arbore Cacai. *Amygdalis ſimilis Guatimalenſis* a CASPAR. BAVHINO. Officinæ noſtræ ſolo Cacao contentæ nomine; ſunt tamen interim ex Germanorum pharmacopœis, qui vocabulum Americanum Teutonico cuidam a ſimilitudine externa & analogia cum aliis ſeminibus deſumto addunt, & ſic quaſi vocabulum Barbaro-Germanicum facere ſtudent, & huncce fructum *Caco-Bohnen*, *Cacaw-Nüßel*, vel *Cacavi-Körner*, vid. CHRIST. SCHMIDII Catalogum medicamentor. uſual. in officina aulica Regia Dresdenſi Cap. IV. p. 20. appellant.

§. III.

Ut verō ſciatur, quid ſit, de quo noſtram formamus diſputationem, id definitione, non quidem preſſa & anguſta, ut Dialecticus, ſed explanatiori, tum etiam uberiori, & ad commune judicium, popularemque intelligentiam accommodatiori, explicabimus & definiemus: ſunt ergo Cacao nuclei fructus exotici peponi ſimilis polypyreni, arboris Indiæ Occidentalis Cacoiferæ dictæ, amygdalis ſimiles & magnitudine, & forma, & conſiſtentia, ſed paulo tumidiores, incluſi involucro corticoſo, duro, rugoſo, nigro ac ruffo oblongo, ſaporis ſubpinguis, oleoſi & ſubamari, odoris nullius, virtutem pineis, piſtaceis atque amygdalis majorem obtinent.

§. IV

§. IV.

Quod Cacao nuclei ſint, ſatis conſtat ex nucleorum definitione, quæ exacte ad noſtrum Cacao quadrat, ſunt enim fructus vel ſemina eſculenta, quæ exterius duro cortice teguntur, interius vero continent, quod eſt eſui; Europæi modo nuces, modo nuculas, modo ſemina, modo fructus appellitant; non indigenæ autem arboris fructus ſunt, ſed exoticæ, apud nos enim ob climatis temperiem plane non naſcuntur; Fructus integri ſimiles ſunt, quod ad externa attinet, noſtris peponibus vel cucumeribus, hancque ob rem Tournefortius, Botanicorum princeps, dans les Elements de Botanique fructum vocitat cucumeriformem. Porro ſunt fructus polypyreni, qui uno cortice duro plures ſeminum nucleos continent, qui, niſi quod paulo ſint tumidiores, nec adeo compreſſi, colore brunno extus & intus & duriore pellicula gaudeant, amygdalis in omnibus & magnitudine, forma externa, conſiſtentia ac uſu ſimiles. Ordinarie uno involucro, quod Botanographis pericarpium ſiccum audit, decem, duodecim, viginti, in nonnullis triginta & plures Cacos reperias, qui poſtea exprimuntur, & in radiis ſolis ſiccantur. (a)

§. V.

In Paragrapho tertia diximus, Cacao eſſe fructum arboris Indiæ Occidentalis Cacaoiferæ; neceſſum hinc omnino eſſe putamus, de hac planta, ejusque diverſis ſpeciebus, quas ii, qui Americanum ſalu-

(a) Ein Holländiſcher Acker mit Cacao Bäumen bepflantzet, bringet ſeinem Beſitzer Jährlich 1000 lb. ein, welches 160. Engliſche Cronen oder 40. lb. Sterlings austrägt.

ſalutarunt quondam orbem, annotarunt, quædam proferre. Americæ incolæ, teſte JOH. de LAET Hiſtor. Ind. Occidental: Lib. VII. cap. 2. hocce vegetabile, quod Latinis *Cacaoifera* ſeu *Cacaofera* audit, *Cacahuaquahuitl*, *Cacaotal*, *Cacava-Quahuitl*, *Cacahuaquahutil* ſalutant. FRANCISCVS HERNANDEZ *arborem Cacari* ſeu *Cacariferam* vocat in Rerum Med. Nov. Hiſpan. theſauro Lib. III. Cap. XLVI. JOH. JONSTONO audit, libro de arboribus, *arbor Cacavi*, ſeu *Cacavifera Americana vel Mexicanorum.* THOMAS GAGE, Anglus, *Cacaofal* eam arborem nominat. A CASPAR. BAVHINO in Pinace Theatri Botanici appellatur *Amygdalis ſimilis Guatimalenſis.* MELCHIORI GVILANDINO, *Avellana Mexiocana*, cujus fructum indigenæ Cacao appellant.

§. VI.

Mexicani Medici alii quatuor, alii vero quinque Cacaoiferarum arborum conſtituunt ſpecies, inter quas *prima* & omnium maxima eſt *Cacava-Quathuitl* dicta; huic proxima *ſecunda* ſpecies *Mecacavatl*, proceritate nempe & foliorum ac fructuum magnitudine; *tertia*, *Xochicacavatl* vocata, minor eſt, minoremque profert fructum, & ſemen foris rubeſcens, intus vero cæterorum colore; quarta omnium minima & ideo Americanis *Tlacacahuitl* ſeu humilis dicta, fructum fert minimum, ejusdem cum prioribus coloris; vide plura in Guilielmi PISONIS, Medici Amſtelædamenſis, qui de viribus plantarum & animalium, quæ medicinæ in India utraque inſerviunt, doctiſſime ſcripſit, *Mantiſſa aromatica*, libro ſuo de Indiæ utriusque rebus naturalibus & medicis annexa Cap. XVIII. p. m. 197.

§. VII.

Enumeratis Cocaoiferæ arboris ſpeciebus ad ejus patriam & locum natalem ulterius progredimur. Sponte provenit & copioſe luxuriat in diverſis novi orbis ſeu Indiæ Occidentalis, non vero Orientalis, ut quidam perperam ſcripſerunt, & falſo ſibi imaginati ſunt, teſte PAVL. HERMANNO, Batavo, in Cynoſura Materiæ Medicæ p. 185. provinciis v. g. in Mexico, Quatuemalac ſeu Guatimala, Coſta-Rica, Cuba, Jamaica, Nova Hiſpania & vicinis inſulis; In Nicaraqua autem Provincia, quæ ab Hiſpanis propter uberrimam omnium rerum ibi repertarum copiam, Paradiſus nuncupata fuit, & in Carcaro præ omnibus reliquis Americæ regionibus optimos & jucundiſſimi ſaporis nucleos in apricum provenire & creſcere annotatum legimus.

§. VIII.

Quod attinet tandem ad locum natalem, vivunt hæ arbores irriguis, depreſſis, opacis ac pinguibus locis. Nam ſimulac ſole tactæ ſunt, marceſcunt & contabeſcunt; ne autem hoc fiat, ad haſce arbores cacaoiferas aliam incolæ editiorem plantant arborem, patulam & umbroſam, quæ ſimul ac adoleſcere cœpit, ejus cacumina cum frondibus ita concinnare adaptareque ſolent, ut adulta ea arbor cacaoiferas inumbret, defendatque a cœli injuriis æſtuque ardentis Sirii, ut ſolis radiis lædi non poſſint, ſed potius quaſi ſub umbone tutiores ſint. Hæcce arbor peculiari nomine gaudet, & ob uſum, quem præſtat, ab incolis novi orbis *Cacaoquanantbli*, ab aliis *Alin*, *Atlina* ſive *Cacaomater* (*Cacao Mutter*) vocatur, quæ quaſi Cacaoiferam (ſimilitudine deſumta a matre, quæ fœtum

tum tenerum nutrit & educat) nutrit, defendit & quasi educat. Dominus de BLEGNY vanam arbitratur persuasionem, qua nititur Americanorum institutum, cum Hispani non sine successu Cacaoiferas aluerint in viridariisr,adiis solaribus quam maxime expositis, in Insula Cuba; sed refutatum eum a MARCO MAPPO, Argentoratensi, in dissertationibus suis *de receptis hodie etiam in Europa potus calidi generibus* &c. pag. 12. legimus, ubi sequentem in modum inquit; fides sit penes autorem, ex quo hoc habet ex-,, perimentum, sapientum opinionibus consentane-,, um non videtur, Americanos tanto labore,,, tanto numero istas proceriores arbores in grati-,, am cacaoiferarum plantaturos, & lucos inde arte,, exstructuros fuisse, si cultura Cacao umbra tam fa-,, cile careret; & cum adeo expresse observarint &,, tradiderint autores, ad ardorem solis arbores Ca-,, caoiferas contabescere, ejusque æstu confici, instan,, tia certe prolata confirmatione opus habet. Hacte-,, nus Marcus Mappus.,,

§. IX.

Magnitudo & altitudo hujus arboris pro diversa soli qualitate, diversaque specie, quarum quatuor ex *Guilielmi Pisonis mantissa aromatica* recensuimus, variat; omnes tamen interim in universum historiæ naturalis scriptores in eo conveniunt, arborem esse mediocris altitudinis, ejusque caudicem ferme crassitie accedere ad nostrorum prunorum crassitiem; sunt qui Tiliæ arbori, sunt quoque qui malo Aurantiæ assimilant; corticem habet glabrum; ante septimum vero annum nullum fert fructum, post id vero tempus singulos per annos binis vici-

bus maturos largitur nucleos. JOH. RAIVS l. c. inquit: a secundo ætatis anno fructificat & quolibet anno bis; ab anno vigesimo sterilescit & fructus amplius ferre recusat. Omnes se hujus arboris species haud difficile cicurari patiuntur, ita ut Hispani integros agros, hisce arboribus consitos, possideant, imo integra arboreta plantent & colant, non secus atque in Europa vineta atque oliveta.

§. X.

Folia habet crassa, longa, obscure viridia & aculeata; nonnulli v. g. Herrera, comparant ea cum foliis Castaneæ, sed Castaneæ folia sunt serrata seu serræ instar incisa, quibus incisuris folia arboris Cacaoiferæ destituuntur, uti ex figuris æneis, quas GVLIELMVS PISO l. c. & *Histoire naturelle du Cacao & du Sucre*, (qui liber Amstelodami anno proxime præterfluxo 1720. Gallice prodiit, quique præ omnibus, qui icones habet, elegantissimam & floris & fructus & foliorum exhibet figuram) æri incisas habent, videre licet; interim tamen folia a dicto PISONE & Monf. PIERRE POMET dans *l' histoire des Drogues* delineata valde discrepant & distant a foliis, quæ dans l' histoire naturelle du Cacao & du Sucre depicta observamus; hæc enim foliorum habent pediculos, qui in PISONIS figura non adsunt, sed modici tantum, ramulis & surculis proxime adnati. Alii vero ea comparant cum foliis Aurantiæ, a quibus tamen, folia enim mali Aurantiæ aliquid peculiare habent, nempe duas parvulas alas in extremitatibus foliorum, quas alas eleganter depictas & excusas videbis apud ABRAHAMVM MVNTINGIVM *in Phytographia curiosa*

fig.

fig. I. & II. etiam valde diſtant, nullas enim Cacao-folia habent alas. De foliis hoc modo adhuc addam, quod ſtatim, uno cadente vel deciduo, alterum & novum ejus locum occupet.

§. XI.

Sed cum ab excellentiſſimis Botanicis noſtri ævi primarius hodie vegetabilium character a flore & ſemine deſumatur, hinc e re omnino erit, & de flore quædam annotare. Joſeph. Pitton TOVRNEFORTIVS *Inſtitut. Rei Herbar. Tab. CCCCXLIV.* p. 661, Sam. DAHLE *in Pharmacologia ſeu manuductione ad mater. medic. Cap. de arboribus pomiferis fructu corticoſo pag.* 441. Cacao gaudet floribus magnis, pentapetalis, flavis, fructu magno. JOH. RAIVS *Hiſtor. plantar. Tom. II. Sect. IV. de arboribus cucurbitiferis Cap. VIII.* p. 1670. hiſce ob ſimilitudinem & Cacao ſubjunxit: eſt arbor, cujus flos baſi cohæret fructu polypyreno cortice duro tecto. TOVRNEFORTIVS, jam ſemel citatus, ſequentes notas characteriſticas ex clariſſ. Plumierii deſcription d' Amerique exhibet: flore, inquit, eſt roſaceo, plurimis ſcilicet petalis conſtante, ex cujus calyce multifolio ſurgit piſtillum, tubi cujusdam multiſciſſi laciniis cinctum, quod deinde abit in fructum cucumeriformem, ſtriatum, ſeminibus fœtum in quinque plerumque acervulos collectum oblongos, in multas veluti amygdalas ſciſſiles. Cum hoc charactere & Hiſtoria naturalis Cacao & figura iſtiusmodi libri exacte coincidit pag. 4. ſes fleurs ſont regu-" lieres & en roſes, mais fort petites & ſans odeur" &c. flores per totum annum in arbore adſunt, maximam tamen copiam eorum circa duo ſolſtitia ar-

bor oſtendit, quorum tamen major pars ſterilis & decidua inter myriades vix centum ſtamina fructus poſt ſe relinquunt, uti etiam modo allegata Hiſtoria „naturalis Cacao teſtatur: une grande quantité de „ces fleurs coulent, & à peine de mille y en a-t-il „qui noüent; en ſorte que la terre eſt au deſſous „paroit toute couverte de ces fauſſes fleurs &c. Color floris croceus eſt, quo deciduo & evanido remanent oblonga, viridia & lanuginoſa ſtamina, ſeu embryo, qui centrum floris occupat & in fructum abit corticoſum & ſtriatum ruffum; Anton. COLMENERVS de LEDESMA colore ficum æmulari ſcripſit, in ſuo opusculo de Chocolata Inda. Hic fructus nucleis, racemi inſtar medio ſtipiti adhærentibus, quos Indi Cacahuacintli nominant, refertus, qui quando maturus fit, magnitudine juxta ac craſſitie pepones vel melones, (b) interdum autem vix pomum ſylveſtre adæquat Forma externa & figura nonnulli ſubrotundi ſunt, pomorum inſtar, alii oblongi cucumerum forma, verum plerique ovati. Singulis annis bis hi fructus matureſcunt, & vindemiantur, prima vice Menſibus Januar. & Februar. altera vice Menſibus Majo & Junio. Huic collecto fructui ſemina, quorum numerus variat a decem, duodecim ad viginti & plura, imo POMET l. c. ſexaginta usque octaginta uno fructu contineri perhibet (quæ membranulis ſingula ſingulis incluſa, gelatina dulci & lactea referta, quæ in ore illico liqueſcit) exprimuntur, liberantur a cortice exteriore

(b) Die Frucht iſt groſs, wie ein Kürbiſſ, voller Saat, und gleichet auch am Geſchmack in etwas demſelben. Blanckart von der Chocolade pag. 154.

riore & purgantur a mucilagine viſcida, quo involuta alias jacent, poſtea ſtratificantur ſuper lintea vel ſtramina, & vel in ſole, vel ollis vitriatis indita ſuper ignem exſiccantur, & ad uſum aſſervantur.

§. XII.

Sed ſufficiant hæc dixiſſe de arbore, ejusque foliis, flore & fructu, officinas enim noſtras pharmaceuticas non ingrediuntur, nucleos autem noſtros, horum qualitates, vires & uſum paulo accuratius inſpicere & inquirere volupe eſt.

§. XIII.

Subſtantia eorum intus eſt tenuis & mucoſa terreſtreitate quadam juncta, ſpadicei fere coloris, diſpares, ſublata nempe pellicula fulva, diviſa particulas, oleo ſcatens, quod abundantius ex his, quam ex Phyllidis fructu, exprimi poteſt. Pulpa hæc ſubpinguis, ſubamari, non ingrati tamen ſaporis, odoris fere nullius; temperamentum ſubfrigidum atque humidum a JOH. RAIO iis adſcribitur.

§. XIV.

Principia Chymica breviter tangam: ſi nuclei, ceu fieri debet, in pulverem vel ſaltim fragmenta comminuti & retortæ inditi deſtillantur, exhibent primo liquorem quendam album, aquæ inſtar clarum & pellucidum, ad inſtar juſculi carnium; aucto ignis gradu ſpiritus vaporum forma lactei candoris, qui non admodum ſunt fervidi, ſed penetrantiſſimi, nec guſtui nec olfactui ingrati, quemadmodum eſſe ſolent e ſanguine aut carne eliciti; & tandem, igne vehementiſſimo reverberii addito, oleum aſcendit intenſe rubrum & velut ſanguineum, verum pellucidum, pinguedinem ex aſſata carne deſtillantem redolens, refrigeratum

ratum crassescit instar olei, butyri vel ceræ; mirifice alias pungit & penetrat, sale nempe volatili, cujus magnam quantitatem continet, nondum separato, valde insuper aromaticum est & cardiacum. Ulteriorem nucleorum Cacao analysin chymicam vide sis apud Dn. le FEBVRE & alios chymicos curiosos.

§. XV.

Hic autem quæritur, cum fructus ex diversis arborum speciebus desumuntur, quænam species in usum trahenda vel usurpanda? ad hancce quæstionem autores respondent, omnes & singulas species unum eundemque fructum, magnitudine tantum a se invicem distantem, proferre, unum hinc eundemque & habere usum & vires & virtutes. Interim tamen ex Caraco & Nicaragua allatos nucleos reliquis præstare certum est. Cicuratas etiam arbores, præ sylvestribus & sponte e terra natis, meliores fructus & nucleos ferre mihi certe persuadeo. Reliquum electione utendum, nec usurpandi sunt annosi, mucidi, cariosi aut alio modo corrupti, aut vitiosi, verum e contrario integri, magni, ponderosi, non annosi nimis, nigricantes foris, intus rubedinis non expertes, pingues, bene asservati & sapidi.

§. XVI.

Ad usum progressum facio. Indiæ Occidentalis olim incolæ magno in pretio hosce nucleos habuerunt, & monetæ vice iis utebantur in suis commerciis, omnis enim generis merces iis emere poterant, & nummorum vice, quoties stipem mendicantibus erogare volebant, habebant, nucem Cacao enim unam atque alteram iis conferebant. vid. WILHELM. DAPPERS Reisé um die Welt p. I. c. 3. p. 116.

120.

120. &c. it. c. 6. p. 285. ERASMI FRANCISCI Oſt-und Weſt-Indianiſch. Luſt-Garten Part. I. p. 487. &c. Sed pro certo habeo, quod nunc hocce monetæ genus, poſtquam Hiſpani, aliæque nationes in haſce Americanas provincias pervenerunt, derogatum ſit, & monetæ aureæ argenteæque, quibus Regum Principumque ſimulacra inſculpta ſunt, in eodem pretio ac valore, quo apud nos valent, exiſtant. Hancce nulli adulterio obnoxiam monetam arboream PETRVS MARTYR admiratus, merito cum impetu hæc protulit verba: O felicem monetam! quæ ſuavem utilemque præbet humano generi potum & a tartarea peſte avaritiæ ſuos immunes ſervat poſſeſſores, quod ſuffodi aut diu ſervari nequeant. Sed huncce uſum miſſum faciam atque alios, nempe medicos, in conſiderationem traham. Indi, demum Hiſpani & Itali, & nunc quoque noſtri Germani ex hoc fructu decorticato & toſto componunt cum aromatibus maſſam vel placentam, Chocolata dictam, ex qua cum aqua, lacte vel vino potus genus ejusdem nominis, (c) Nectar quaſi Indorum, conficiunt, de qua confectione & potu in limite hujus diſſertationis quædam, ſed brevia, addam. Mirum porro in modum laudatur hic fructus ob egregiam ſitis ſedandæ virtutem & ardens bibendi deſiderium leniendi. Indi ex ſolis nucleis, ſine aliorum admixtione, potionem præparant, quam porrigunt iis, qui acutis morbis laborant, valde enim iis utilem eſſe, etiam ad ſedandum & miti-

(c) Vid. Catalogum noſtrum, exhibent: appellationes & denominationes omnium potus generum per totum terrarum orbem &c. p. 34.

gandum calorem p. n., experti ſunt. Vim tum habent nutriendi adeo potentem, ut multis carnibus aliisque alimentis anteferantur, ita ut D. STVBBE, Anglus, in tractatu ſuo de Chocolatæ potu, pro certo affirmet, unum Cacao nucleum plus nutrimenti & virium afferre humano corpori, quam libram unam carnis; Obſervationes proſtant, quosdam in Americanis coloniis ſolo Cacao per aliquot menſes non vixiſſe tantum, ſed & pinguiores factos eſſe, quorum exempla legi merentur in anonymi cujusdam tractatu, cui titulus: Naturgemäſſe Beſchreibung des Caffe, Thée und Chocolate &c. ob egregium hinc, quod corpori afferunt nutrimentum, egregie hi nuclei conducunt phthiſicis & hecticis. Reliquum pinguefaciunt corpus, ventriculum roborant, humores acres & ſalſos temperant, hinc ſcorbuticis medentur, ſanguinem edulcorant, ſemen augent, pectori & pulmonibus proſunt, ſpiritus alacriores reddunt, dolores ſiſtunt, caput roborant, atque horum nucleorum alimentum & medicamentum vix ſatis extolli & deprædicari poſſunt.

§. XVII.

Ad extremum Oleum Cacao expreſſum conſiderandum venit; exprimitur autem ex nucleis Avellanarum Mexicanarum, non aliter ac oleum amygdalinum ex amygdalis calefactis & comminutis. (d) Uſum

(d) Die Cacao-Nüſſe geben ungleich mehr öhl, als die Mandeln.

Usum habet cum amygdalino quoque eundem, & ad quæ amygdalinum utile, ad eadem quoque hoc & quidem adhuc in majori gradu. Unguenta hæmorrhoidibus minus conveniunt, butyrum nucis Cacao tamen hæmorrhoides seu ficus ani, partium affectarum inunctione nempe, curat, vid. JOH. JACOB. MANGETI *Biblioth. pharmaceut. med. Lib. III. p.* 440.

§. XVIII.

Atque hæc in præsenti sufficiant commemorasse de Avellana Mexicana, cujus historiam naturalem & medicam, generalem saltim, exiguis hisce angustisque pagellis complecti constituimus: prolixiorem narrationem de ea qui desiderat, evolvat cum Botanicis, & egregium tractatum Gallico idiomate anno 1720. Amstelædami editum sub titulo: *Histoire naturelle de Cacao & du Sucre;* sed promisimus §. XVI. quædam addere de Chocolata, potu Indorum Nectareo (e) quod nostrum etiam promissum paucis adhuc relationi huic annectere non negligemus.

§. XIX.

Chocolata est vocabulum barbarum, pureque

 Ameri-

(e) Chocolade ist ohn Zweiffel derjenige Götter-Tranck, den die Heydnischen Poëten Nectar nennen &c. vid. Madame Leucorandens anmuhtiger Beweiss, dass ein honnettes Frauenzimmer bey den Caffe-Schmäussgen erscheinen könne &c. p. 73.

Americanum ex *Choco*, *Choco*, quod ſtrepitum & ſonum, quem Chocolata, quando aquæ ſuper igni admiſcetur, (weil er währenden Sieden und Kochen einen hellen Schall von ſich zugeben pflegt) edit & *Atte* vel *Atle*, quod Mexicanis aquam ſignificat.

§. XX.

Variis aliis adhuc inſignitur appellationibus. CASPAR. CALDERA de HEREDIA *Cyocolate* pronuntiat; alii vocitant *Cacavate*, *Chucolate*, *Jocolata*, *Succolata*, *Socolada*, Gallice *Chocolat*, Germ. *Schoccolade*, *Schocklate* & ob inſignem uſum confortandi Venerem, vocatur Brunſvicenſibus in Pinace officinalium: *Venus-Brod.* (f)

§. XXI.

Ad homonymiam quod attinet, & confectioni ex nucleis cum aromatibus & ſaccharo paratæ, & potui demum ex hac confectione, in Atolla, aqua, lacte vel vino ſoluta, præparato, ſatis noto, Chocolatæ nomen convenit.

§. XXII.

Chocolata ſic duplicem quoque deſiderat & expe-

(f) Bekömt daher denen Rittmeiſtern, und denen, ſo zum erſten mahl Bräutigam werden, ſehr wohl, macht die Verliebten Saamenreich; wenn die Rahel dieſe Chocolade gekennet hätte, würde ſie nicht die Dudaim um Jacob gekauffet haben, denn dieſe übertrifft jene weit.

expetit definitionem. (1) ſunt placentæ ſeu confectiones ſolidæ, variæ formæ, rotundæ, quadratæ, oblongæ &c. (g) ex nucleis Cacao toſtis & decorticatis cum ſaccharo & aromatibus ſuper igne in unam maſſam coactæ. (2) eſt potus ſeu jusculum (eino Brühe oder Suppe) ex præfata confectione, in Atolla, aqua, lacte vel vino ſoluta, coctum & præparatum, ad nutritionem, voluptatem, ſanitatisque recuperationem.

§. XXIII.

Præter Cacao autem, quod baſin & fundamentum Chocolatæ conſtituit, adhuc varia eam ingrediuntur ſimplicia & aromatica, pro cujusvis tamen lubitu, temperamento, ætate & conſtitutione varianda ingredientia & ſeligenda; ex innumeris pauca tantum hic recenſemus v. g. *Siliquas Vainiglias*, (de quibus vid. Excellent. Dn. Doct. Joh. Carol. SPIES Programma de Siliquis convulvuli Americani vulgo Vainigliis. Helmſt. 1721. 4t.) *Achiotam*, *Piper Mexicanum*, *Aniſum ſtellatum* ſ. *Turcicum*, *Amygdala*, *ſaccharum Canarienſe*, *Cinnamomum*, *Caryophyllos aromaticos*, *Moſchum*, *Ambram gryſeam*, *pulverem filicis & linguae cervinae*, *nuces Avellanas*, *triticum Mays* ſ. *Maitz*, (Türckiſch Korn oder Weitzen, propter particulas oleoſas &

 pingues

(g) Wird öffters in Schachteln gegoſſen, wie Marmelada oder unſer Quitten-Brod &c. vid. Chriſt. Vielheuers Gründliche Beſchreibung fremder Materialien und Specereyen &c. p. 160.

pingues Chocolatæ additur) *Orejevalam* ſeu *Auriculae florem*, *Holli*, (ſuccus vel Gummi eſt, quod Indi Chocolatæ addere ſolent &c. vid. HVBNERI Lexicon naturæ & artis p. 897.) *Aquam Namphæ* ſeu *florum aurantiorum* & adhuc plura, quæ ſi omnia una vice componerentur, certe novam Theriacam (h) conſtituerent. Compoſitio ſimpliciſſima, me judice, *ex Cacao*, *ſaccharo*, *&* *uno vel altero tantum aromate* compoſita, multo eſt præſtantior.

§. XXIV.

De modo præparandi confectionem & rite ex ea potum coquendi, cum plures eum ante nos ſatis fuſe docuerint, & omnibus ferme jam coquis notiſſimus ſit, aliquid dicere hic plane ſuperſedeo. Variat tamen præparatio & apud Indos, & apud Anglos, Hiſpanos, Italos & Germanos. Evolve Analecta literario-Hiſtorico-curioſa. Faſcicul. I. p.10. & 11.

§. XXV.

Ante Occidentalis orbis detectionem ſolis Indis hic potus familiaris fuit & notus; poſt id vero tempus cum multis aliis rebus Novæ Indiæ pri- mum

(h) Der Theriack, ein ſehr bekandtes Medicament, ſoll entſtanden ſeyn, als der Teuffel einsmahl eine Apotecke umgeworffen; als der Herr derſelben nun ſeines Schadens nicht beſſer ſich erhohlen konte, hat er alles zuſammen gelaſſen, und vor ein neu Medicament wider alle Kranckheiten dienlich, weil eine gantze Apotecke darin enthalten, verkauffet.

mum in Hiſpaniam, & deinceps in reliquas Europæ provincias & regna quoque delatus, ut hodie omnibus notiſſimus ſit. (i)

§. XXVI.

Virtutes ei tribuuntur inſignes; frigido ventriculo multum prodeſſe, eumque calefacere, digeſtionemque promovere; Venerem confortare (k) & omnia viſcera roborare, vires collapſas reſtaurare; ſpiritus augere, bene nutrire & ſaginare, phthiſi & hecticæ mederi, pectori prodeſſe, vertigini conferre affirmatur, reliquas virtutes viresque vide apud commentatores de Chocolata. Strigoſis & macilentis expeditus potus eſt. Ingreditur quoque Confectionem pacificam de Succolata Inda Mynſichti.

§. XXVII.

Modum bibendi Hiſpani peculiarem obſervant, ſumturi enim Chocolatam, frigidæ prius hauſtum bibunt. An vinum Malvaticum vel aliud bonæ notæ dulce, item Roſolio di Perſico, aqua Cinnamomi cum vino, florum Namphæ, vel alia ſpirituoſa ſuperbibenda ſint, non conveniunt autores, non æque

(i) Die beſte Chocolade kömmt noch heutiges Tages aus America, wo ſie von friſchen Nüſſen gemacht wird; nechſt dieſer iſt die Spaniſche die beſte.

(k) Jener ſagte, die beſte Chocolade wäre eine Frauenzimmer-Hand, wenn die nicht hilfft, ſo hilfft nichts.

æque tamen nocere possunt, præsertim in languidis & quibus matrimonium prolem aspicere denegavit, sic enim interdum generantur adhuc forsan fœtus, *Chocolade-Kinder*, dicti; exemplum vide apud MVNDIVM in parergis.

§. XXVIII.

Quod ad tempus assumendi Chocolatæ potum attinet, mane commodissime bibi, sub horam somni nocere scribitur; iis vero, qui calorem ventriculi debiliorem experiuntur, optime consulitur, si Chocolatæ unciam unam atque alteram post cibum assumant ac vinum Malvaticum vel aliud bonæ notæ generosum superbibant; tempore æstivo sanguinem & interiora corporis viscera inflammat. Hispani in Mexico & Chiapa degentes, continuo in suis templis Chocolatam bibunt, teste THOM. GAGE, Anglo, qui per plures annos iter per Indiæ Occidentalis provincias ac regna instituit, *in dissertatione itinerario suo annexa.* In Romana ecclesia disputatur, an hicce potus jejunium frangere possit? Controversiæ hujus resolutionem doctissimam vide sis apud FRANCISCVM MARIAM, *Cardinalem* BRANCATIVM, *in Diatriba de usu Chocolatæ;* item apud ANTONIVM de LEON. in libro Hispanice scripto & edito, cui titulus: *Question moral si el chocolate quebranta el ayuno Ecclesiastico &c.* (l) apud P. ANTON. ZVCHEL-
LI

(l) Als Anno 1723. eine Zeitlang mich in Wien aufhielte,
ließ

LI *in seiner Merckwürdigen Missions-und Reise-Beschreibung nach Congo in Æthiopien* p. 47. apud Madame Leucoranden l. c. pag. 77. ubi controversia deciditur; an Choçolata sit cibus vel potus?

§. XXIX.

Inde mirum quantum appetunt hoc jusculum ex Chocolata confectum, iis quoque idem est, quod nostratibus vinum & cerevisia, Sinensibus Thea & Persis Coffé; idque bibunt omni tempore in tanta copia & quantitate, ut in unica Hispania Nova non sufficiant quotannis duodecies millena librarum facchari millia, über 12. Millionen lb. Zucker. Hos Indos imitantur Hispani, de quibus hoc scomma aliquando legimus: Ein jeder Lumpen-Hund in Spanien, der nicht eine Katze aus dem Ofen zu jagen Macht hat, und der in vielen Jahren kein Fleisch auf seinem Tisch gesehen, muss doch täglich mit

 seiner

ließ der Herr Prof. Rauch, ein Catholicus, eine Disputation de aëre & esculentis drucken, in welcher diese Worte: Chocolata valde nutrit, & venerem stimulat; hinc vel stoliditatem vel hypocrysin cognosces monachorum, qui ob abundantiam succi nutritii, ut ajunt, Veneris pabulum, a carnibus devotionis gratia abstinent, largo nihilominus Chocolatæ potu sese ingurgitare minime sibi vitio vertentium. Nachdem diese Dissertation in Cathedra defendiret war, ward er vom Consistorio suspendirt, und ab officio removirt; doch weil er nichts contra veritatem geschrieben hatte, ist er nach etlichen Monahten wieder in seine vorige Dignität gesetzet worden.

ſeiner Dulcimenen, mit den kurtzen Mantel,langen Degen, mörderiſchen Dolche und der Brille auf der Naſe, auf Geſundheit des Herculis und Herculiſci eine Taſſe Chocolade trincken.

§. XXX.

Cum autem & hodiernis temporibus quidam Europæi (m) nil appetere videntur, niſi Chocolatam, nec judicant, an conducat, an noceat; Siracidis regulam diæteticam auream in gratiam eorum hic apponam: proba, quid ſanitati tuæ conducat! ſed objicere poteſt quispiam: nec Indis nocet? qui continuo quoque eam potant; Sed Europæi non ſunt Indi, Europæi Europæa utantur diæta, Indi Inda. Nec cum Italis refrigerata, palato potius, quam valetudini conveniens, Chocolata bibenda eſt.

§. XXXI.

Mentem incurrunt poetæ cujusdam verſiculi haud illepidi, qui quatuor mundi partes, tanquam Deas de potus præſtantia altercantes inducunt:

Orta Deas inter lis quondam maxima, potus
  Laudibus illa ſuos tollere & illa ſuos;
Thée fautrix ASIÆ jactabat China ſaporem,
  Oſtentant Cahwe Perſica regna ſuum;

AFRI-

(m) Wenn aber unſere Teutſchen ſich derſelben an ſtatt des Biers und Weins bedienen wolten, würde ſie gar bald einen Eckel erwecken, und den Appetit zum eſſen verderben.

AFRICA tunc Coffi Serbetque adducit, utrumque
Instar divini Nectaris esse putat.
AMERICES laudant Chocolaten Regna, Tabaci
Sæpius est, clamat, dulce vapore frui!
Stabat ab EVROPÆ Cerevisia partibus orbis,
Ac in eo vario quæ fluit uva mero.
Hoc summo cernens Æsculapius æthere motus,
Hinc ait, hinc absint jurgia vana procul!
Quæque suos potus sibi servet terra; Tabacum
Quivis fumanti, dum lubet ore trahat:
Et cuivis liceat plenis haurire culullis,
Serbet, Thée, quivis fortiter usque bibat.
Ipse Europæis vini commendo liquorem,
Hoc uti modice, qui valet, ille valet.

§. XXXII.

Notæ bonitatis Chocolatæ Indæ omnes videndæ sunt apud Blanckardum *de Chocolada* p. 156. 157. & *in Analectis Histor. Litterar. Curios. Fascicul. I.* p. 12. §. VI.

§. XXXIII.

Chocolatæ Indæ quidam substituunt vernaculam, quam iisdem, ac Indorum præditam esse facultatibus & virtutibus certo asserunt; tale succedaneum paratur ex amygdalis dulcibus, pineis, pistaceis, Cinnam. caryophyll. aromat. manna & saccharo &c. vide LENTIL. *Miscell. German. Dec. III. An. V. append.* p. 103. Pari modo paratur hic Brunsvigæ Chocolata ex Cerevisia Mumme dicta, cum aliquot ovorum vitellis & aromat. quæ certe non contemnenda. Porro paratur talis Chocolatæ analogus potus

ex farina albiſſima triticea Hallenſi toſta, cum ovorum vitellis, ſaccharo, Cinnamomo & lacte.

§. XXXIV.

Non omnibus hic delicatiſſimus & quaſi Nectareus convenit potus, in primis iis valde nocet, qui bile volatili abundant, (n) facile febres ephemeras concitat aliosque morbos calidos. Quemadmodum & omnem abuſum (o) Europæis jam §. XXX. interdiximus & hic altera vice interdicimus; optima doſis mane a quinque ad ſex uncias.

§. XXXV.

Præparata ex Chocolata ſunt ſequentia: (1) Confectio pacifica de Succolada Inda Mynſ. quam vide apud eum in Theſauro & armamentario Medico-Chymico p. m. 224. 225. (2) Placenta Chocolatæ, quam vulgo *Chocoladen-Torte* vocitant, paratur in modum placentæ amygdalinæ, ex Cacao-nucleis cum mica panis nigerrimi & aqua florum Namphæ. (3)

(n) Diejenigen, ſo ein hitzig Geblüthe haben, müſſen ein wenig Cucumer-Saat geſtoſſen darunter mengen, oder welches noch beſſer iſt, ein wenig Nitrum, oder etwas vom lapide prunellæ darzuthun.

(o) Id in vita optimum reputo, ne quid nimis. Terent. wenn ſie ſchädlich iſt, ſo iſt es gewiſs nicht ihre Schuld, ſondern man muſs die Schuld gäntzlich auf diejenigen legen, die ſie ſchädlich machen, indem ſie ſelbige miſsbrauchen.

(3) Specias confectionis, quam *Chocoladen-Kräntze* appellant. (4) Rob Chocolatæ, cum croco & oleo amygdalino parat, specifici loco in tussi commendatur.

§. XXXVI.

Sed ultra limites progredi videmur, unde calamum hic sistimus, finemque huic labori imponimus, sufficere enim hæc ad generalem dulcissimi potus Indorum cognitionem speramus; plura qui cupit, adeat Marcum Mappum de receptis hodie etiam in Europa potus calidi generibus &c. Domin. de Four, Antonium Colmenerum de Ledesma, Franciscum Mariam Cardinalem Brancatium in Diatriba de usu Chocolatæ. Romæ 1666. 4t. Mundium, les Journal des Sçavans An. MDCLXVI. Carolum Sponium, Thom. Gage, Dom. Stubbe, Joh. Gottf. Kühnen, Stephan. Blancardum in zuverläßigen Gedancken von Thée, Caffe, Chocolade und Toback. Hamb. 1705. 8. Casparum Calderam de Heredia in quæstionibus IV. de Chocolate Lugd. Batav. 1658. fol. Joh. de Cardenas, lib. Del Chocolate que provechos haga y si es bebida salutable ono. Mexic. 1609. Barth. Marradon Hispan. Dialog. de Chocolate. M. Duncan, von Mißbrauch heisser und hitziger Speisen und Geträncke, sonderlich aber des Thées, Coffées und Chocolade. Leipz. 1707. 12. Cornelium Bontekoë, Een kort Tractaat van de Kragten en't Gebruyk van de Chocolate, in 'sGravenhage. 1685. 8v. & alios.

Τῷ Θεῷ σοφῷ καὶ ἀφθάρτῳ δόξα.

COROLLARIA.

I. Metatl vel Metate lapis eſt latus & politus, ſuper quo in Indiis Occidentalibus Cacao nuclei in pulverem teruntur.

II. Ab aliis fructus arboris Cacaoiferæ, Cacavacentli, ab aliis vero nuclei ita vocantur.

III. Si nuclei, ante Chocolatæ præparationem, ex corticibus ſuis eximantur, delicatiores fiunt panes vel rotulæ, & gratior demum Nectarea potio.

IV. Mexicani Chocolatam præparant cum Atolla, quæ eſt antiquiſſimus eorum potus.

V. Atolla eſt farina ex frumento Indico in aqua diluta & cocta,

VI. Forma paſtillorum nihil ad bonam Chocolatam confert, parantur enim longi, rotundi, quadrati, circulares &c.

VII. Forma ſolida uſurpari poteſt Chocolata, fiunt enim ex ea tragemata ſaccharata, Maſſepanes, aliæque cupediæ palato æque fere ac in liquore pergratæ.

VIII. Tecomates ſunt crateres ex nuce Cocos fabricati, quibus Americani ad huncce

potum

potum utuntur, horum defectu Europæi vaſa porcellanica uſurpant.

IX. Chocolata obſtructiones non gignit, obſtructis enim viſceribus corpus tabeſceret, cum tamen e contrario pinguia ſoleat reddere corpora.

X. Chocolata nec venenum, nec medicina univerſalis eſt. Prodeſt nonnullis, verum ii, qui eam in deliciis habent, omnibus eam ſummopere commendant; nocent nonnullis, qui odio eam habent, perhibent eam omnibus eſſe nocivam. Utraque pars peccat: ſi enim venenum, nullo non bibenti mortem afferret?

XI. Potionum omne genus ex vegetabilium fonte.

EXPLICATIO FIGVRARVM.

I. Ex Guilielmi Piſonis Mantiſſa aromatica deſumta eſt.

II. Ex Monſ. Pierre Pomet Hiſtoire des Drogues.

III. Eſt integer Cacao fructus in magnitudine naturali delineatus.

IV. Sunt

IV. Sunt nuclei Cacao in magnitudine naturali ſuo cortice adhuc involuti.

V. Deſumta eſt ex Hiſtoria naturali Cacao & ſacchari, & ſiſtit:

(a) Flores explicitos cum calyce.

(b) Fructum perfectum.

(c) Fructum immaturum.

(d) Fructum in medio per transverſum diviſum.

(e) Nucleum a cortice mundatum.

(f) Folia cum petiolis & tandem

(g) Flores nondum apertos & explicitos.


F I N I S.











Bäck sc.



Fig. V.



Fig. IIII.